



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LIV. Hebe & Ganymedes, Iovis pocillatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

bus belli Ducibus ob oculos ponendum: ut meminerint gladios & hastas suas non innocentium sanguine pingere: non rapinis & iniquis spoliis cingere; sed lauros eis inflectere, hoc est, justitiæ, fortitudinis, continentię laudes appendere, armæque in Dei causa vibrata, Deo victoriarum Datori, suis in templis, quod majores nostri fecerunt, dedicare.

X. (k) Amphiaræus tellure absorptus, laureatum telum, seu hastam, reliquit; quò significatur nominis post fata superstes fama & immortalitas. In tenebris jacerent fortissimorum virorum res gestæ, nisi lumen litterarum accederet. Deslueret in cineres memoria, nisi eam ab oblivione litterarum monumenta vindicarent. Gloria factorum eboris est instar, quod assiduo contactu, nitorem contrahit ætatum consequentium; & perpetuo velut affricu, splendidior existit, benefició litterarum,

(k) *Litterarum dignitas ad famam militarem illustrandam.*

SYMBOLVM LIV.

Hebe & Ganymedes, Iovis Pocillatores.

Ex Homero lib. 4. Iliad. Virgilio 3. Æneid. Mythologo lib. 2. s. s. & lib. 9. s. 13.

Ethicè.

1. Favor Principum inconstans.
2. Virtus & doctrina commendant formam.
3. Cur quidam in flore ætatis moriantur?
4. Virtus & invidia evehunt in astra.

Heben Latini, Tullio teste, *Inventatem* (id est, juventutis deam) vocarunt; Poëta Junonis filiam fuisse dixerunt; & fabulosum ejus ortum hunc memorant. Fuit, cum Juno ab Apolline, in domum Jovis ad convivium vocaretur; in eo præter nobiliores dapes, agrestes lactucæ appositæ fuerunt (nam dii ambrosiam quoque simplici ore distinguebant esca,) quas ubi Juno comedit, cum antea esset sterilis, repente fit gravida, & Heben filiam parit. Ea cum pulcherrimæ formæ esset, Juventuti præficitur ab ipso Jove; & id præterea illi munus datum est, ut Jovi pocula ministraret, caput ornata sero variis è floribus textis. Verum cum aliquando inter ministrandum incautiùs & indecorè lapsa

lapſa fuiſſet, remouetur ab officio, & *Ganymedes*, *Laomedontis*, *Troiae* regis filius ſufficitur, ab aquila, dum venatur, ſubitò raptus, & juſſu *Jovis*, in caelum portatus. Hinc deinde inter ſidera translatus, in ſignum mutatus eſt, quod *Aquarius* vocatur, quia videlicet ejus ſideris ſtellæ imaginem fundentis aquam ſitu ſuo referre videantur.

Ethica.

I. (a) Per *Heben* ab officio pincernæ à *Jove* remotam, intelligendum cenſeo, inquit *Natalis Comes* in *Mythologia* loc. cit. gratiam atque favorem principum, rem eſſe inconstantiſſimam, quæ facili lapſu amittatur, & cum ea omnia fortunæ ornamenta perdantur. Idipſum *Ganymedes* in *Aquarium* converſio docet. Erant ambo (*Hebe* atque *Ganymedes*) aliquamdiu gratioſi apud Regem *Cœlicolum*, ſed uterque collectam præſtantiâ formæ, ætatis, obſequiorum, gratiam brevi effudit, quod inverſo aquali *Aquarius* ille docet. Hæc præmia vitam ſequuntur aulicam. Dum floret ætas, viret ſanguis, viget corpus, gratiſſima ſervitur ſervitus. Si parum quid offendatur, repente ſerenum in tempeſtatem vertitur, & malis avibus abire jubentur, quos augurio læto felicitas ipſa advocaſſe videbatur. Id contigit *Ganymedi*. *Aquila*, id eſt, favor Principis ipſum uſque in æthera evexerat; Præguſtator ſit *Jovis*, auro gemmiſque diſtinctum tenet manu poculum, neſtar ſuperum menſis miniſtrat. Et ecce! ſubitò ſcena vertitur, jubetur exſſe *Jovis* regiâ, in *Zodiaci* ſe limites conferre, & pro *Chryſendeto*, aequalẽ ſuſtinere brachiis. Ita ſolet fieri. Quidam cum dedecore aperto amandantur ab aulis; alii ſub honoris ſpecie, quemadmodum *Ganymedi* factum, cui *Jupiter* locum inter ſidera aſſignavit, ſed parùm honorificum: *Hydriæ* bajulum fecit. Frequenter idem Miniſtris Principum obvenit, quibus improvifò occinitur: aliò migrandum eſſe, famulantium numero non eſſe pares impenſas. Poſſe famen mutari tempora, & priſtina obſequia requiri; interim viveret ſibi, & bonæ ſpei. Scilicet; ſi ſapis, & ſentis, hic tibi ait: *aquarius* eſto, frigidâ ſitim, & olere fatuo, pelle famem. O infida ſecuritas! ô labilis aſcenus! ô lubricum aulæ culmen! Quidam interrogatus, quomodo, rariffimam rem in aulâ, conſecutus eſſet ſenectutem? reſpondit, injurias accipiẽdo, & gratias agendo; *Seneca* lib. 2. de ira c. 34. Mare, qui intrat, inquit *Lipſius*, navigat, fluctus exſpectat: qui Aulam, motus. In Aulis lenta ſunt beneficia, præcipites iræ; leviffimo momento in indi-

R r 2

gnationem

(a) Favor Principum inconstantis.

gnationem Principes impelluntur. Experti sunt Ganymedes & Hebe. In illum sic lusum est:

Quid sibi vult pronæ Phrygius puer urniger undæ?

Regia quem volucris nuper in astra tulit.

Siccine divini liquido pro nectare pocli

Pincernæ gelidas dextera fundit aquas?

Hæc Jovis ex Aula Ganymedis præmia? fufum

Principis ut vinum : gratia fluxa perit.

II. (b) Aliud ex Ganymede, sed imitationis documentum, Virtus & forma in eo certabant : hinc etiamnum adolescens in cælum raptus est. Qua re demonstrare voluerunt sapientes Ethnici ac Ethici, teste Cicerone 1. Tuscul. Virum prudentem à Deo amari, & ipsum proximè accedere ad divinam mentem. Est enim Ganymedes anima hominis, quam ob eximiam virtutem Deus ad se rapit ; quæ tantò est pulchrior, quantò innocentior, & à contagione corporis remotior. Pocula Jovi ministrata indicant : Deum mirificè delectari officiis sapientiæ, eaque quasi sitire. Pulchritudo Ganymedis, virtutis est imago, quam si oculis corporis liceret cernere, ut Plato ajebat, mirificos sui amores excitaret in animis hominum. Aquila subvexit Ganymedem in alta, quia sapientia perspicax est, & acie aquilinâ prædita. Hæc Mythologus l. c. Adde ego ex Alciati emblemate 4.

Consilium, mens atque Dei cui gaudia præstant,

Creditur is summo raptus adesse Jovi.

Tractum id ex Xenophontis Symposio ; quò loco ait, Ganymedem non corporis, sed animi causâ à Jove in cælum translatum, idque ipsum nominis etymo tradit, nam *Γανυμήδης* dicitur, *ὅς γάρ ται μύθεσσι*, qui divinis consiliis latatur. Claudius Minos in eundem locum.

III. (c) Per Ganymedis raptionem & in cælum translationem significatur, quosdam à Deo in ipso ætatis flore è vitâ evocari, ne proveciores annis, in Numinis offensam, & salutis discrimen incurrant. Est enim Deus amator innocentie. Sapientiæ 4. v. 11. dicitur. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, & fictio (dolus) deciperet sensum eius.* Nam cum annis plerumque crescunt vitia, & turbidius fluit è cado, quidquid propius fundo est. Prænoscit Deus pericula labendi, hinc dilectas sibi animas maturè subducit iis. Propterea Salomon loc. cit. v. 14. *Placita enim erat Deo anima illius, propter quod properavit Dominus educere illum*

(c) Virtus & Sapientia commendant formam, (d) Cur quidam in flore ætatu moriantur.

illum de medio iniquitatum. Iterumque v. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est.* Id est, probitas fecit amabilem Deo: & ne pravis improborum verbis & exemplis corrumpere-
retur, ac quasi contagio afflaretur, subtractus est discrimini; pergit Sa-
lomon v. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupi-
scentia transvertit sensum sine malitia.* Id est, improbitas specie honesti
frequenter perstringit oculos mentis (praesertim adolescentum) ut quae
bona vera sunt, non videat, & contra bona putet, quae verè mala sunt;
impetúsque concupiscentiae, quo agimur & rotamur, animum sincerum,
simplicem, innocentem colluvie vitiorum corrumpit. Ibidem idem Sa-
pientissimus Rex solatur parentes, ne lugeant praematurum liberorum
obitum, nam fatis vixit, qui bene vixit, virtus non indiget annis; Hinc
ille: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero com-
putata: cani autem sunt sensus hominis, & aetas senectutis vita immaculata.*

Quisquis enim sapiens est, fatis senex & canus est, qui vitam vivit
immaculatam, etiamsi juvenis sit, senilis tamen aetatis decus & laudem non
amittit. Nam, ut eodem loco, *Consummatus in brevi explevit tempora
multa.* Ingens meritorum spatium brevissimo tempore emensus est, &
penè prius fuit in meta, quam in stadium procurrere coepit. Unde S.
Ambrosius in funere Theodosii Imp. Perfecta, ait, est aetas, ubi perfecta
est virtus. Puer Aescanius à Marone commendatur. 9. *Aeneid.*

Ante annos animumque gerens, curamque virilem.

Virtutis enim & sapientiae celerior cursus est, quam aetatis. Sunt qui-
dam senes, bis pueri; & pueri ante aetatem senes. Senec. de Tranquill. c. 3.
Nihil turpius, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum,
quo probet se diu vixisse, praeter aetatem. Mediolanensis Praesul in ps. 118.
Præveni in maturitate &c. Praecurrit, inquit, aetatem, quisquis in adole-
scentia positus, senilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranam
quadam continentia regit: fervoremque virentis corporis, in cana mo-
rum maturitate componit. Et ibid. Quid potest habere laudis, si effœ-
tum corpus voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devo-
tionis officia, deposito jam signior vigore convertat? Ganymedes ne-
ctar Jovi propinavit, id est, meliorem aetatis succum virtuti consecravit.

Fex est & vappa, aut certè turbidum, quod ex sera senectute premi-
tur. S. Chrysostomus in psal. 111. postquam exposuerat, neminem esse,
qui non sibi eligat, fervos & ancillas validas, vegetas, laboribus aptas;
subjungit: quanto magis Deus vult adolescentiam, tanquam intactam

Virginem, sibi jungi, ut eius vitæ primitias ambiat: ne quis, cum juventutem peccando exhausserit, languidam ac enervatam senectutem, ac vitæ faciem virtuti (& Deo) reseruet. Vidit idipsum Seneca Epist. 108. Quid ergo cessamus, inquit, nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare? Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum effluit; gravissimum quodque, turbidumque subsidit; sic in ætate nostrâ, quod optimum, in primo est. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis faciem reseruemus. Hæc ethnicus Philosophus ipsis ethnicis exprobrat, quod nobiliores vitæ spiritus, & mustum juventutis in nequitiis effundant, & exhauriant; sibi autem ut in senectute vivant, viribus corporis & animi exhaustis, mentis ac rationis impotes, *faciem reservent*. Quid ad hoc Christiani?

IV. (d) Jupiter Ganymedem feras venantem per aquilam in cœlum rapuit. Facit id virtus, quæ hominem brutas cupiditates, velut bestias, insectantem altius tollit, & ad cœlestium consortium evehit Jacobus Masen in spec. imag. Qui rem ad historiam referunt, inter quos est Eusebius, ajunt Ganymedem, minorem natu à fratribus interemptum; ad consolandas autem senis parentis (nempe Laomedontis, regis Troiæ) lacrimas, & leniendum desiderium, fingebant fuisse subtractum à Jove, sub aquilinâ specie latente, inque cœlum subvectum; quemadmodum olim filii Jacobi Patriarchæ, cum vendidissent Josephum fratrem, ingenio, formâ, vaticiniis spectabilem, mentiti sunt patri, ipsum alicubi à bestia raptum, devoratumque fuisse. Rectè Plutarchus in Moraliis. ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia. Ubi mel, ibi fel: ubi uber, ibi tuber: virtus dum premitur, extollitur. Ganymedes exturbatur è numero hominum, ut sedem accipiat in Choro superum, Sic itur ad astra. Huc facit Epigramma:

Dum puer Iliacus disponit retia silvis,
 Atque agitat celeres per juga celsa feras.
 Ætheriis subito delabitur Ales ab oris
 Armiger, innoevis unguibus hæret onus.
 Felix præda volat frustra latrante Lycisca:
 Invidiam virtus non timet alta canem.



(d) Virtus & invidia Ganymedem sustulere in astra.

SYM-